



Fasti Mariani

Brunner, Andreas

Antverpiæ, M.D.C XXX III.

S. Cæsarivs C. 27. Augusti.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70962](#)

27. AVG. Vita Sanctorum. 471

sanctus Morpheus. Ducti ad supplicium cum plurimis aliis (ex quibus uni scala in cælum se porrigena viam scilicet ostendit) caput truncandum pro fide præbuerunt, duplice dehinc titulo beati, cum & conjuges & martyres audiunt, iudemq; & casti & fortes. Ex Sur.

S. CÆSARIVS C. 27. Augusti.

Quisquis flores aut fraga legis inter Poëtarum vireta, heu! cave tibi; latet anguis in herba. Vides indormire CÆSARIVM serpentis amplexibus? Non Aesculapius erat hic, sed Apollo, profanus inquam codex, cui noctem quandoque invigilabat ille, cum precibus debuisset. In somnis ostendit cælum, serpentis non libri volumina esse, quibus incumberet. Quare manibus hæc excusit. Tu quoque, puer in finibus angues in oculis geris legendō, cavebis, iterum moneo, juventus. Cæterum puer CÆSARIVS non semel prætextam posuit, ut pauperes hanc acciperent, domi deinde spoliatum se à prætereuntibus commentus, cum interim ultrò in has prædonū manus accurreret. E mundo cum abiret, inconsultis id parentibus (ne viam obsiderent) fecit. Abhinc mundo mortuum quis negabit, quando ubi Abbas ad Episcopū Arelatensem querebatur, tumulo, quo se absconderat, fuit extrahendus?

Mul-

Multis saepius calumniis appetitus, exilio multatus, vinculis oneratus unis tamen beneficiis semper certavit. Certè calumniatorem lapidibus obrendum servavit, civicamque ex hoste meruit. Rex ipse Theodoricus cum reum ad tribunal vocasset, ubi ad instar Angeli splendentem intuitus est, habere exinde patronum suum apud DEVM maluit. Ejus dona (ut & vasa sacra vestesque) omnia in captivorum subsidia dilapidavit, veros Ecclesiarum thesauros animos esse reputans. Abiit tandem mortuus è vivis, cum prius ipse mortuum ad vivos reduxisset. *Ex Lippelgo.*

S. MARGARITA VIDVA.

28. Augusti.

NObilem hanc MARGARITAM fortuna ad gregis, quem paupercula pascebat, pedes abjecit. Et tamen splendor illius ex ipso caelo Christum accivit, ut pauperem & ipse induitus stipem peteret. Nec abnuit illa, sed panem, quem unicum habebat, illi tradidit non parvo lucello. Nam continuo Christus ex oculis abiens suavissimo odore MARGARITAM perfudit. Hoc inservit probè pasta cum domum deinde venisset, & mater negaret in penu panem esse, protulit tamen inde MARGARITA talem, qui candore & sapore cœlum loqueretur, famemque non fami-